



nam rationem atque scripturam excipis, auctoritate, iudicium lectoris relinquere liberum atque integrum; tenebimus hanc consuetudinem, eaque, vt a nobis iam factum est, vel in hisce aduersariorum argumentis discutiendis semper vtemur. Et quia illa omnia, quae contra nos contorquent argumenta, vno atque eodem vitio laborant; coniunctim illa proponam, vt vno quoque ictu deinde profcindantur. Primo Sociniani, aduersarii, hacce ratione hominis diuinitatem, docent, diuino verbo repugnare:

*Si vnum tantum Deum nobis scriptura proponit; illud, quod inde sequitur, est: hominem non Deum esse.*

*Sed dicunt, illud verum esse, ex quo hoc sequi, putant.*

*Ergo et id, quod sequitur, nunc statuunt, inter vera referri.*

Deinde sic concludunt;

*Quicumque non tantum pluribus in locis a Deo, simpliciter nominato, sed saepe etiam ab illo, vno aut solo Deo, expresse est distinctus: ille verus Deus neutiquam esse potest.*

*Sed omnia haec de homine valent, qui Christus vocatur.*

1 Corinth. VIII, 6. Ephes. III, 6. Io. XVII, 3.

*Ergo nec ille homo Deus dici potest.*

Pergunt inimici:

*Quemcumque, sacra scriptura, hominem, testatur esse, illi diuinam naturam adimit, qua summus ille Deus sit.*

*Atqui sacra scriptura testatur, illum, qui Christus vocatur, hominem esse.*

Qua-